

PROOEMIUM, DE IIS QUAE

fabulose apud historicos feruntur.

Aud fanè nos fugit, uetustarum rerū scriptoribus ut in multis labantur contingere. Nam & antiquiora illa paululū subobscuram ambiguitatem præbent scribentibus: & temporum descriptio haud facilis cognitu, quādoq; detrahit legentibus fidem. Heroum præterea, semideorumq; & cæterorū uirorum multiplex ac uarium genus non satis exquisitè explicari potest. Accidit insuper, quod omnium est difficillimum, ut de antiquorum gestis fabulisq; scriptores inter se admodum dissentiant. Qua moti re nobiliores qui postmodum secuti sunt historici, omisiss priorū fabulis ad recentiores se historias contulere, Ephorus quippe Cymæus Socratis discipulus historiam scripturus, ueteribus prætermisiss rebus, ab Heraclidarum tempore narrandi exordium cepit. Callisthenes ac Theopompus, quos eadem uilitas, prisca illa minime attigerūt. Nos secus arbitrati, onus sumpsimus prisca res omnes literis mandandi. Maxima enim plurimaq; Heroū, Semideorūq; tum aliorum excellentium uirorum, meritis quorum à posteris Semideorum Heroumq; honores ac sacra impensa sunt, egregia facinora extiterunt: quita men omnes historiae munere laude sempiterna celebrati sunt. Nos quippe tribus superioribus libris externarum gentium acta, quæ ue de dijs ferantur, loca insuper singula, & quæ in eis feræ, altaq; animatia, ac cætera memoratu digna admiranda ue haberentur, retulimus. Hoc autem libro, quæ à Græcis de Heroibus Semideisq; quos prisca celebrauit ætas, tradita sunt, deq; præclaris eorum bello gestis complectemur: his adijcietes, quæ ab illis pace ad utilitatem cultumq; hominum adiuuenta, quæ ue sancita legibus fuere. Initium uero à Dionysio sumetur: quem in primis antiquum fuisse constat, ac maximis beneficijs uitæ mortalium profuisse. Dicitum est superius à nobis, barbaros quosdam huius sibi Dei genus uendicare. Nam Aegyptij Deum suum Osiridem esse affirmant, quem Græci Dionysium uocant. Hunc uolunt omnem circumisse orbem, uini repertorem, cum uites plantare docuerit: quo facto, communi gentium omnium consensu sit illi immortalitas tributa. Indi quoq; hunc apud se natum ferunt, uiniq; usum ab eo hominibus traditum. E quibus licet antea singulatim per multa explicauerimus, nunc tamen quæ Græci de hoc scribant Deo, minime uisa sunt omittenda.

DE DIONYSIO, PRIAPO, HERMAPHRODITO, & MYSIS. Cap. II.

CAdmum Agenoris tradunt ex Phœnicia ad peruestigandam Europam à rege ea lege missum, ut aut uirginē secum reduceret, aut in Phœniciam non rediret. Cum diutius quæsitam ab se uirginem non inueniret, postposita patria in Bœotiam peruenisse. Vbi cum respōso oraculi Thebas condidisset, Hermionem postmodum Veneris filiam in uxorem sumpsisse: ex qua Semelem, Ino, Autonoe, Agauem, ac Polydorū genuerit. Semelem Iupiter ob pulchritudinem in forma hominis cognouit. Quod illa existimans ab Ioue in sui contemptum agi, rogauit ut secum prout cum Iunone aduenerat coiret. Iupiter Dei maiestate assumpta, cum tonitribus ac fulgure ad eam descendit. At illa prægnans, cum neq; fulguris neq; tonitrus uim ferre posset, filium aborti igne expirauit. Infantem Iupiter Mercurio dedit, ad antrum Nyse, quod

inter